Niniejszy egzemplarz stanowił niegdyś czwartą pozycję w klocku Q.V.9, składającym się z następujących pozycyj: 1) Levinus Hulsius, Tractatus primus instrumentorum mechanicorum, Francofurti 1605; 2) Ditto, Tractatus tertius ... Francof. 1605; 3) Jo. Kepler, Ad epistolam Jac. Bartschii responsio, Sagani 1629; 4) Jo. Kepler, Admonitio ad astronomos, Frf. 1630; 5) Jo. Kepler, R.P. Jo. Terentii Epistolium, Sagani 1630; 6) Josef Salomo del Medigo ספר אילים etc., Amsterdam 1629. Klocek ten, podzielony dziś na części, był własnością Jana Brożka.

JOANNIS KEPPLERI
MATH. CÆS.

ADMONITIO
AD ASTRONOMOS,
RERUMQUE COELESTIUM STUDIOSOS,

De raris mirisq; Anni 1631. Phænomenis,

VENERIS PUTA ET MERCURII in Solem incursu:

Excerpta
Ex EPHEMERIDE Anni 1631. & certo AUTHORIS consilio huic præmissa, iterumq; edita

à

JACOBO BARTSCHIO
Lauba Lusato, Phil. & Med. D.

FRANCOFURTI
Apud Godefridum Tampachium.

ANNO M. DC. XXX.

Clarissime atq; Excellentissime Vir, DN.

PHILIPPE MULLERE

MED. LIC. ET MATHEM. IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSOR P. celeberrime,

Fautor & Amice ætatèm colende.

QVod in itineris mei Argentinensis nupero exorsu, Lipsiæ sub anni prioris finem, certo Authoris consilio, jucundo Lectoris usu, primò excusum Keplerianæ Admonitionis scriptum, nomini tuo honoratissimo inscriptum, in ædibus tuis obtuli gratissimum: idem nunc in ejusdem felicis optato decursu, Francofurti dum redux morari cogor, sub anni hujus initium, Authoris consensu, novâ Bibliopolę ratione, recusum, denuò nomini tuo clarissimo inscriptum, boni ominis ergò Lipsiam musis tuis gratissimis præmittere non dubito. Caussis in superiori, nunc ob id repetitâ, præfatiunculâ positis addo hanc novam, quod post confirmatum jam arctioris cum sæpius laudato Dn. KEPLERO necessitudinis vinculum, & medici honoris additamentum, idem sive primum sive alterum meum-non-meum scriptum Tibi iterum acceptum refero. Hoc interim boni consule, usque dum Ephemerides nostras in Silesiâ jam prelo subjectas, brevi (ut aliàs nosti) prodituras offeram, & Bartschio tuo favere non desiste. FRANCOFURTI ex nundinis vern. Anno 1630. sub ipsum Solis & Mercurij congressum Lunæ oppositum, juxta calc. nov. Tychonico-Keplerian.

Excell. T. Clariss.
ætatèm colens
JAC. BARTSCH. D.

DEDICATIO PRIOR.

Excellentissimo Lipsensium Mathematico, Viro Præclarissimo DN.

PHILIPPO MULLERO

MED. LIC. ET P.P. Dn. FAUTORI & Præceptori olim, nunc Hospiti honoratiss.

SAL. & INCOLUMITATEM omnimod.

CUM in itinere jam meo, Vir Fautorq; æternùm honorande, & hinc nuper digredientem, & nunc iterum transientem me, Lipsiæ morari noverca cogeret occasio, æquior altera tecum viuere, deq; jucundis rebus Astronomicis disserere, ac in commune bonum consulere voluit. Factum enim inde nosti, ut non tantùm de Cl. Dn. Kepleri, quem communem Magistrum Parentis loco merito veneror, proposito studiisque præsentibus, & mei Françofurtum & Argentinam denuo spectantis itineris caussâ fere triplici, coràm fusius colloqui otium suppeteret: sed vel maximè novus, idemq; correctior Tabularum Rudolphi Astronomicarum calculus Logarithmicus, exindeq; jam natus Vicennalium Ephemeridum nostrarum Tomus primus, dum prelum jam expectat & ferè non urget, cum nundinis utrisque exspectantibus, præludium earum aliquod certum exigere videretur.

Quamobrem ut, Lipsiæ dum moror, moram hanc quodammodo compensaturus, Astrophilo Keplerianarum rerum avido interim satisfaciam: tuo etiam suasu, nec Authoris dissensu, de re cœlesti, novâ, mirâ, longè dissitos præmoneam: ex Ephemeridum nostrarum corpore particulam non contemnendam decerpere, hancq; typis publicis de-

scriptam,

scriptam, Tibi ut Astronomorum præcipuo, ita splendore tuo polum Academicum maximè illustranti sacram facere, debitam offerre non dubitavi.

Qui enim primus *in Academiâ mihi ante hoc novennium fuisti Artis Doctor*, primaq; *primo meo Astronomico*, *Planisphærij stellati ante quinquennium Argentinæ editi, libro fundamenta suppeditasti: qui etiam* primus *mihi in patriam ante biennium reduci, Ductor iterum ad* Dn. KEPLERI *Musas*, primum *de felici & ominoso in vicinas patriæ oras aditu nuncium, grato fato ante annum significasti*: primus *etiam merito nunc appares, (ut alias, quæ privatim movent, causas reticeam) cui post Ephemerin hujus anni meam, tuis etiam auspiciis hic editam*, primum *hocce meum-non-meum scriptum, & arctioris cum ipso sæpius laudato* Dn. KEPLERO *necessitudinis votum, publicè acceptum referam.*

En igitur, Vir præclarissime, non ingratam grati Discipuli, publicam grati animi, grati denique Hospitis symbolam chartaceam, quâ (siquidem recusas aliam, non modò Tibi meum, sed Astronomis quoq; Dn. KEPLERI *nomen interim exsolvo: eandem boni jam consule, mihiq; & studiis meis, quod abundè facis, favere non desiste. Scribeb. in ædibus tuis.* Lipsiæ 1629. 5. 15. *Octobr.*

Excell. T. Clariss. officiosè colens

J. BARTSCH. PH. M. & C. P.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
JAC. BARTSCH. D.
Philomathemat.

HAbes hîc, Aſtrorum Spectator, Cœlorum Metator Studioſe, utilem & jucundam Cl. Dn. Kepleri, Soceri venerandi, Admonitionem, de raro Veneris & Mercurij phænomeno, Annum M.DC.XXXI. conjunctim nobilitante, tuamq; induſtriã excitante: quam conſenſu ipſius, in itinere nunc meo, denuò excuſam, Ephemeridum noſtrarum vicennalium prodromi loco, tecum publici Aſtronomici boni causâ iterum communico. Eidem ad majorem calculi noſtri fidem explorandam, non tantùm ex Ephemeride ſuâ dudum abſolutâ, binorum Planetarum motus ad aliquot dies vicinos: ſed & ipſum calculum, ex Tabulis Rudolphinis Tychonico-Keplerianum, quem ad medium conjunctionis utriuſq; tempus Uraniburgicum, præceptorum vigore, inquiſivi, præmittere volui, debui. Quo interim primi Ephemeridum noſtrarum Tomi, è Sileſiâ noſtrâ quamprimùm prodituri, pignore, benevolus utere, fruere, noſtriſq; conatibus fave ac vale.

Motus Solis *&* Veneris *ad Anni* 1631. *dies annotat.*

		Sol in Sagittar.	Venus in Sagittar.		
Dies	3	11. 6. 46	16. 39	*Mer.*	0. 42
De-	4	12. 7. 53	16. 2	*Aſc.*	0. 26
cemb.	5	13. 9. 1	15. 26		0. 11
ſtyl.	6	14. 10. 10	14. 50	*Sept.*	0. 5
nov.	7	15. 11. 20	14. 13	*Aſc.*	0. 21
	8	16. 12. 30	13. 36		0. 36.

Motus Solis *&* Mercurii *ad Anni* 1631. *dies annotat.*

		Sol in Scorp.	Mercur. in Scorp.		
Dies	4	11. 43. 37	18. 47	*Mer.*	0. 56
No-	5	12. 44. 3	17. 32	*Aſc.*	0. 36
uemb.	6	13. 44. 31	16. 15		0. 15
ſtyl.	7	14. 45. 0	14. 55	*Sept.*	0. 5
nov.	8	15. 45. 30	13. 35	*Aſc.*	0. 26
	9	16. 46. 2	12. 15		0. 44

CAL-

CALCULUS SOLIS ET VENERIS,

ad Tempus conjunctionis, quod æquale seu medium Hor. 9. Min. 41. post merid. 6. Decemb. nov. 26. Novemb. vet. styl. Anni curr. 1631. Temp. complet. 1630. Octobr. 25. vet.

SOLIS.

Longitudo media ab Æquin. 8. *Sign.* 15. *Grad.* 19. *min.* 57. *secund.*
Apogæum 3. *Sig.* 6. *Grad.* 15. *min.* 52. *secund.*
Anomalia media 5.9.4.5. *Anom. coæquata* 5.8.18.58.
Locus verus 14. *grad.* 34. *min.* 50. *sec. Sagittarii.*
Intervalli 98324 *Log-us pos.* 1691.

VENERIS.

Longitud. med. ab Æquin. mot. 2. *Sig.* 15. *Grad.* 9. *min.* 53. *sec.*
Aphelium 10. *Sig.* 1. *Grad.* 54. *min.* 29. *sec.*
Anomalia media 4.13.15.24. *Anom. Coæquata* 4.12.40.29.
Locus Orbitæ 2.14.34.58. *Nodus Ascend.* 2.13.24.55.
Argumentum latitudinis 1. *Grad.* 10. *M.* 3. *S.* *Reduct. subtr.* 8. *secund.*
Locus Eccentricus 2 *Sign. compl. sive Gemin.* 14. *gr.* 34. *min.* 50. *sec.*
Angulus commutation. 0. 0. *Ergo & prosthaph. seu elongatio à Sole nulla.*
Intervalli 72071 *Log-us pos.* 32751.
Ergo Proportio Intervallorum 31060.

Pro latitud.

Inclinatio 4 *min.* 7 *sec.* *Hujus Complement. tanquam*
Angulus Commutationis 5. *Sign.* 29. *Grad.* 55. *min.* 53. *sec.*
Ejus Logarithmus exact. 672752.
Tanquam Elongatio à Sole 11 *min.* 19 *sec.*
Ejus Logarithmus exact. 571664.
Inclinationis suprà positæ Mesologarithmus 672752.
Ergo Mesolog-us Latitudinis 571664.

Ergo Latitudo Veneris vera Sept. 11 *min.* 19 *sec.*
Longitudo verò eadem cum Sole, scil. 14 *gr.* 34 *min.* 50 *sec. Sagittarij.*

CALCU-

CALCULUS SOLIS ET MERCURII
ad Tempus conjunctionis, quod æquale seu medium Hor. 1. Min. 17. Sec. 30. post merid. 7. Novemb. nov. 28. Octobr. vet. styl. Anni curr. 1631. Temp. complet. 1630. Septembr. 27. vet.

SOLIS.

Longitudo media ab Æquin. 7. Sign. 16. Grad. 24. min. 15. secund.
Apogæum 3. Sig. 6. Grad. 15. min. 48. secund.
Anomalia media 4. 10. 8. 27. *Anom. coæquata* 4. 8. 32. 26.
Locus verus 14. *grad.* 48. *min.* 14. *sec. Scorpionis.*
Intervalli 98859. *Log-us pos.* 1147.

MERCURII.

Longitud. med. ab Æquin. mot. 1. *Sig.* 24 *Grad.* 59 *min.* 46 *sec.*
Aphelium 8 *Sig.* 13 *Grad.* 43 *min.* 10 *sec.*
Anomalia media 5. 11. 16. 36. *Anom. coæquata* 5. 1. 5. 47.
Locus Orbitæ 1. 14. 48. 57. *Nodus Ascend.* 1. 13. 9. 10.
Argumentum latitudinis 1. 39. 47. *Reduct. subtr.* 43 *secund.*
Locus Eccentricus 1 *Sign. compl. seu Scorp.* 14 *gr.* 48 *min.* 14 *sec.*
Angulus commutat. 0. 0. *Ergo & prosthaph. orbis seu elongatio à Sole nulla.*
Intervalli 31338. *Log-us pos.* 116047.
Ergo Proportio Intervallorum 114900.

Pro latitud.

Inclinatio 11 *min.* 55 *sec. Hujus Complement. tanqvam*
Angulus Commutationis 5 *Sign.* 29 *Grad.* 48 *min.* 5 *sec.*
Hujus Logarithmus 567463.
Tanqvam Elongatio à Sole 5 *min.* 32 *sec.*
Hujus Logarithmus 643224.
Inclinationis suprà positæ Mesologarithmus 566462.
Ergo Mesolog-us Latitudinis 642223.
Ergo Latitudo Mercurii vera Sept. 5 *min.* 35 *sec.*
Longitudo verò eadem cum Sole, scil. 14 *gr.* 48 *min.* 54 *sec. Scorp.*

RECTORI ASTRORUM GLORIA LAUSQ; DEO.

JOAN-

JOANNIS KEPPLERI
Mathemat. Cæs.

ADMONITIO

Ad curiosos rerum cœlestium : Excerpta ex Ephemeride Anni 1631.

QVOD libro meo, Astronomiæ Partis Opticæ Cap. VIII. p. 305. negavi hoc sæculo fieri posse, vt stella Veneris particulam Solis tegat: id hoc anno 1631. D.6. Decembris Gregoriani futurum prodit calculus. Etsi verò parvi fortè momenti res est ad prognosin: ego tamen, qvi unicam Astronomicæ cognitionis amplificationem in conqvirendis hujusmodi apparitionibus habeo propositam; non possum non summis votis expetere serenitatem, & cæteras circumstantias ad observationem rei idoneas: non hoc propterea præcipuè, quia rarissimè contingunt hujusmodi *incursus Veneris in Solem*; nec ante revolutionem 235. annorum, in eodem loco; nec pluribus, quam duobus totius circuitûs locis, scilicet apud Nodum utrumqve: Sic ut inde ab Anno 1526. 23. Maji, factum sit nunqvam (corrigendus hic qvoqve stylus Opticorum, qui intra annos 200. fieri potuisse negabat) nec iterum fieri possit usque in annum Incarnationis 1761. diem 25 Maji Juliani: sed propter hanc causam, qvia si contigerit, recteqve fuerit observata ab iis,

qvi victuri ſunt, de maximis rebus in arte docere poterit univerſos, qvas ſine hac obſervatione vix unquam in lucem proferent Aſtronomi.

Planetarum igniculos quotidie intuemur; diametros globulorum apparentes dimetiri per inſtrumenta idonea docēt omnes artifices, inde à Ptolemęo & Hipparcho; nec hîc conceſſit veteribus qvicqvam Tycho Braheus arte & induſtriâ.

At quantum abfuerint à certitudine dimenſionis univerſi, docuit nos nuperum illud ineuntis ſæculi inventum, *Tubus* inquam *Belgicus*, perſpicillis duobus, cavo & convexo, inſtructus, à *Galilæo* Florentino Aſtronomiam edoctus: qui *diametros Planetarum*, detersâ luminis ſuperfluitate multis partibus exhibet minores, comparatione inſtitutâ ad viſibilia cætera, qvæ tubus ipſe qvidem ampliat univerſa. Poſtqvam hujus tubi beneficio exactiùs determinari cœperunt diametri ſiderum; cœpi animum adjicere ad indagandam globorum Planetariorum inter ſe mutuò proportionem. Neqve tamen, qvod qværebam, viâ demonſtrationis conficere aliter poteram, niſi principia nonnulla probabilia, ſed tamen indemonſtrata adſciſcerem, quæ vide *Epitom. Aſtron. Copern.* lib. 4. p. 484. 485.

Ex hac verò methodo, quæ ponit pro fundamento, amplitudinem corporum Planetariorum eſſe in proportione intervallorum à Sole, natum eſt in Tabb. Rudolphi, Pręceptum 110. p. 75. ut monetur Lector in fine præcepti. Atqui non planè liqvidas res habemus. Nam Martii corporis diametrum oportebat ad 6. uſqve minuta excreſcere, cùm terris proximus ſit in Aquario: Tubus verò adhibitus tantam ejus diametrum Anno 1623. in Capricorno viſus eſt repudiare, comparatione factâ diametrorum ♂ & ♀. Itaq; & ipſe in Hyperaſpiſte Tychonis conſultandum mihi amplius cum Galilæo ſignificavi; & ille ipſe *Ioan. Remus Quietanus*, in cujus ſententiam dictæ Epitomes p. 485. tranſiveram, nunc deficit ab illa; & retentâ interim particulâ aliqvâ probabilitatis uſurpatæ,

qvæ

qvæ si minùs corpora intervallis proportionalia, saltem diametros omnium sex inter se æquales facit, de reliquo, Martem in situ etiam Acronycho tantum à terris dimovet, ut apparentiam non majorem faciat eâ, de quâ testatur tubus. Atqve his ille principiis efficit, ut cùm ego vetus intervallum Solis & terræ dudum triplicassem, jam meum hoc vicissim etiam quadruplicandum, atqve ita vetus Ptolemaicum duodecuplicandum sit.

Cùm autem quantitas ædificii mundani per hanc principiorum variationem, cumqve tubi testimoniis connexionem, tota in dubium vocetur, ego respiciendum ad assumpta censeo; videndumq; etiam, ne fortè aliud qvippiam de his rebus verum, pulchrum, bonumq; sit, aliud probabile nobis sit visum. Qvid si namq; æqvalitas illa, qvam nos ut solam pulchram, vel in proportione spacii globosi ad intervalla, vel in Diametris ipsis reqvirebamus; si hæc (inqvam) vel sola pulchra habenda non sit, vel in materiâ potiùs globorum, inq; eorum veluti pondere insit, Diametrum verò Martis contrahat densitas globi major, ut verè illa dimetiens globi Martialis minor sit, quàm globi terræ, eaq; ratione apparentiam faciat tubi testimoniis consonam. Sic enim globus glacialis ex aquâ, æqveponderans globo aureo, octodecuplum ferè spatium explet spacii, quod occupat aureus; diametris in proportione eâ versantibus, qvæ est inter numeros 21. & 8. circiter.

Sin autem ex argumentis aliis, à tempore cujusq; Planetæ periodico deductis, Epitomes Astron. Lib. 4. p. 486. 487. tantum accessit roboris hisce speciosis fundamentis, ut difficulter in animis Philosophantium ea convelli possint: ex adverso jamdudum ex Galilæo percontaturus eram, si copia mihi facta esset ejus alloquendi: num etiam ex omni parte prospectum sit tractationi tubi, ut nullum nobis hîc spectrum opticum illudere possit? De Marte quidem memini qveri solitum inter initia Galilæum, orbem ejus indetermi-

 natum

natum & retusum quasi, nec ad meram aciem expolitum, repræsentari. An ex eo profecerit observando, haud scio. Mihi quidem rotundus satis visus est apparere. De Venere verò, cùm est sub Sole, plus laborat observationum fides: hujus enim facies circa maximarum elongationum terminos, in semicirculum; inferius in cornu attenuantur. Ut nihil jam dicam de æstimatione spatij, de hemisphęrio, quod tubus occupat uno intuitu; nihil de comparatione ejus ad Planetæ diametrum; nihil de applicatione & reductione oculi, de obliqva inspectione, de titubatione.

In utram igitur partem propendeant suspiciones nostræ, omnino plurimùm ad eas vel roborandas vel discutiendas faceret *Observatio* ista: si nobis contingeret *Veneris* globum, ipsi disco Solis immersum, applicatione tubi super papyro depingere, ejusqve diametri proportionem ad Solis Diametrum ipsis oculis æstimandam sistere. Nam qvia crescit lumine Venus, decrescitqve ut Luna; certum est, opacum corpus esse, eoqve radios Solis, qvâ parte subtercurrit, impedire, speciemqve maculæ rotundæ exhibere: cujus diameter, ut est in exemplo præcepti 110. suprà allegati, continere debet scrupula 7. secund. 6 paulò minùs, qvàm partem qvartam de diametro Solis: siqvidem tam vera sint assumta illa nostra, qvam nobis visa sunt probabilia.

Etsi verò calculus indicat *conjunctionis articulum medium* Hor. 9. min. 41. postquam Sol penes nos jam 6. horas sub Horizonte transegit, eoqve apparitionem hanc adjudicat Americæ: at qvis in hoc situ Veneris calculi fidem ad dimidii gradus exilitatem præstabit, qvi 6. vel 7. scrup. errore in longitudine Eccentricâ ab Æqvinoctio confici potest.

Satis hoc est caussæ, ut *adhorter omnes & singulos*, non *naucleros* tantùm, qui Oceanum navigabunt, *doctósve viros*, qui Americam, qui Mexicanam & vicinas provincias habitant; sed Europæos quoque, *Professores Mathematicos* in Academiis constitutos, *Magnates* etiam, qvibus otium ad hæc specta-

ſpectaculorum cœleſtium oblectamenta ſuppetit ; denique univerſos, qvibus cœleſtia curæ ſunt ; ut vel ab hoc jam tempore *Tubum* ſibi qviſqve comparet, qvi *maculas Solis* detegere ſit aptus, ejus tractationi manuariæ adſveſcat, notam habeat diductionis ejus vitrorum prolixitatem, qvæ maculas rectiſſimè in conſpectum efferat. Eſt enim illa paulò auctior, qvàm qvæ viſui ad tranſpiciendum ſerviat: eſtqve ſignum correctiſſimæ diſpoſitionis, qvæ in qvoqve inſtrumento poteſt eſſe, ſi macularum margines altrinſecus iridis coloribus tingi incipiant: qvod ultrà citraqve eſt, à perfectione recedit.

Atneqve tuus hîc, Illuſtriſs. Princeps & Domine, Dn. PHILIPPE LANDGRAVI HASSIÆ, tubus ſimplex, & vitrorum expers, ſcio, feriabitur; cujus eſt ea inſtructionis ratio, ut dimetientem hujus maculæ rotundæ, in tabellâ ſuâ albâ expeditiſſimè, circino etiam comprehendendam exhibere poſſit: cui ſi denique accenſeatur diameter foraminis, per qvod introgreſſus fuerit Solis radius, correctiſſima ea erit, & diſtortionis illius immunis, qvam efficit in tubo viſorio, vitrum cavum inferius.

Servient & Clericis templa ſua, ſi quos ordo ille habet artis ſtudioſos. Vidi enim An. 1613. Ratisponæ in templo cathedrali, monſtraviqve adſtantibus notis, *macularum Solis veſtigia* in omnibus radiis rotundis, per feneſtrarum rimas ex alto delapſis. Ut nihil de ruinoſâ illâ, intuſqve vacuâ & ſpacioſâ domo dicam, in quâ Pragæ An. 1607. radium Solis inſigni maculâ tinctum cùm deprehendiſſem, *Mercurium* in *Sole* viſum libello & carminibus publicè editis, ſed falsò, proclamavi: ut in Prolegomenis harum Ephemeridum poſtea ſum confeſſus. Multis enim diebus aberat conjunctio Solis & Mercurii, calculo teſte. Macula itaque Solis illa fuit: utiqve qvia ut habet obſeruatio, nec rotunda exactè fuit, nec æqualiter ex omni parte umbroſa.

Qvacunque harum commoditatum qviſqve fuerit inſtructus, illud unicè ſibi proponat agendum, ubicunqve ter-

rarum fuerit, ut continuo biduo, quod erit 6. & 7. Decembris ſtyli Gregoriani, ad hos Solis radios, per vitra Tubi, aut per ſimplex foramen illapſos, identidem reſpiciat; qvæq; obſervaverit, cum Mathematicis aliis, ſi quos fortè nubes impedi-verint, mecumq; adeo ipſo, ſi vixero, communicet.

Nec ſola eſt hæc Veneris ſub Solem ingreſſio; qvin, qvod mireris, triginta, non plus, diebus antè, etiam *Mercurium in Sole* exhibet calculus, die nimirum 7. Novembris Gregoriani, pridie Eclipſis Lunæ maximæ, & qvidem horâ paulò plus unâ poſt meridiem, eoq; Europæ conſpiciendum. Igitur & hoc triduum dierum 6. 7. 8. Novembr. complectetur obſervatorum diligentia. Etſi enim hic Mercurii ſub Solem ingreſſus, freqventiores habet occaſiones; tamen & majus aliqvid, qvàm in Venere, de fide calculi longitudinis, in dubio ponendum eſt: qvia nos deficiunt obſervationes idoneæ, Planetâ ut plurimum latente ſub Sole. Itaq; calculi defectum circa copulas omnes, ſuppleat induſtria obſervandi ſingulas, qvæ obſervari poſſunt.

Parallaxis diurna, ſi qva futura eſt, Solaris quadrupla erit in Venere, in Mercurio ſeſcupla circiter. Atq; ea utrobiq; adjuvat & prolongat ſuum phænomenon. Cum enim Septentrionalem Solis oram perſtringat uterq; Planeta, parallaxis eos in Auſtrum promovens, centro Solis propiùs admovebit.

Hæc ex Ephem. Keppler.

FINIS